ORATIONEM
IN
MEMORIAM
HENRICI CHRISTOPHORI SCHUESSLERI

J. U. DOCTORIS REGI POLON. ELECTORI SAXON. QUONDAM A CONSIL. AUL.

VIRI DE RUTHENEO PRAECLARE MERITI

D. XV. M. OCTOBR. A. MDCCCLXXX. HORA XI. ANTEMERID.

IN AUDITORIO GYMNASII HABENDAM

INDICIT

ALBERTUS GRUMME
PHIL. DR. GYMNASII PRINCIPALIS DIRECTOR.

INEST QUAESTIONUM HORATIANARUM PARTICULA I.

1880

GERAE.
EX TYPOGRAPHIA AULICA.

De Horat. carm. I 3, 1—8.

Initium carminis tertii Horatiani, quod ita nunc legi solet:

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae lucida sidera
Ventorumque regat pater
Obstrictis aliis praeter Iapyga,
Navis, quae tibi creditum
Debes Vergilium, finibus Atticis
Reddas incolumem precor
Et serves animae dimidium meae.

hominibus doctis haud parva negotia facessivit. Haeserunt enim, ut minores difficultates silentio praeteream, et in explicanda *sic* particula et in totius enuntiati structura expedienda. Ac de impedita difficilique structura novissimus Horatii interpres, Hermannus Schütz, in ea quam hoc ipso anno iterum foras dedit carminum Horatianorum editione p. 350 non sine causa haec questus est: Selbst angenommen, inquit, dass *sic* an sich verständlich sei, so ist die Periode im höchsten Grade verworren. Wir haben in einem Athem zuerst ein Gebet, dass die Götter das Schiff beschützen mögen; diesem wird v. 5 das Schiff im Vocativ hinzugefügt, dann durch einen Relativsatz die Aufgabe des Schiffes bestimmt, und dies so, dass es überaus schwer zu sagen ist, mit welchem Worte der Relativsatz aufhört, ob mit *debes* oder *Vergilium* oder *finibus Atticis*; endlich wird unter Aufgebung der ursprünglichen Structur ein neuer in zwei Gliedern ausgeführter Wunsch oder besser eine Mahnung an das Schiff gerichtet und diese Mahnung mit dem Relativsatze in eine so enge Verbindung gebracht, dass man nicht Anfang noch Ende kennt und die Worte *Vergilium* und *finibus Atticis* ἀπὸ κοινοῦ verstehen soll. „So mögen dich die Winde geleiten, o Schiff, das du den dir anvertrauten Vergil schuldest, (den) mögest du abliefern an die Attischen Küsten u. s. w.“ Welcher Mensch kann so sprechen? Quae cum ita sint, non immerito certe mireris, quod in scholiis veteribus de hac tam contorta ac difficili verborum structura prope nihil sit dictum. Nam Porphyrio illud unum quidem ambiguum esse dixit, utrum *debes finibus Atticis* an *finibus Atticis reddas*

intellegendum esset, sed de reliqua structurae ambiguitate ac difficultate multo sane majore idem plane nihil dubitavit. Quod si reputamus, facile, opinor, adducimur, ut hos versus nunc vitio aliquo laborare statuamus, quo antiquitus caruerint. Videntur igitur hi versus emendandi esse. Et Ludovicus Döderlein in appendice egregii illius libri, qui inscribitur Öffentliche Reden, p. 387 hanc emendationem *Vergilium* ut *finibus* commendavit, idque ita, ut ex eo quod addidit ut *reddas* pendere et illud *precor* ad *regat* referri vellet. Hujus auctoritatem quodam modo secutus Schuetzius l. c. ipse quoque ut inculcari jussit, sed non post *Vergilium*, verum post *incolumem*, ut haec esset sententia: „So mögen dich die Winde geleiten, o Schiff, wie ich bitte, dass du u. s. w.“ [1]) Quam sententiam non satis rectam esse quamquam ipse vidit, tamen alia salute desperata ferendam esse putavit. Alter igitur consecutivo quod dicunt ut, alter correlativo opus esse ratus est. Sed neutrum, si quid video, huc admitti potest. Ac ne pluribus exponam, quam dura ac praepedita etiam adjecta illa particula ut remaneat vel potius exsistat verborum structura, hae particulae sic — ut, quae in satiris Horatianis (I 1, 101. II 8, 3. 36. 48) et epistolis (I 2, 51. 12, 8. 18, 11—13. II 1, 23. 3, 136) perinde atque in vulgari oratione saepius ita usurpatae inveniuntur, ut altera alteri respondeat, in odis, quae dicuntur, nusquam, quod sciam, eodem modo juxta leguntur nisi semel (II 5, 18. 19) ita, ut relativa particula ut afferendae similitudini inserviat. Quod ne casu factum esse velis, perscrutare duos illos carminum locos (I 7, 15. 17 et IV 5, 9. 15), ubi eaedem particulae inverso ordine (ut — sic) inveniuntur: cognosces utroque loco ut comparationi vel afferendo exemplo inservire. Haec vero ita — ut, ut — ita, hic (haec, hoc) — ut, tam — ut, tantus — ut, tot — ut in odis, quantum memini, nusquam invenias. Nimirum in his lyricis carminibus, quae grandi dicendi genere condita sunt, plura Horatius tanquam nimis vulgaria vitavit, quibus in satiris et epistolis, quae carmina a communi hominum sermone non admodum differre vellet (cf. satir. I 4, 41 sq. II 6, 17), uti non dubitavit. Apparet igitur ut h. l. non satis considerate additum esse, praesertim cum nullum ejus nec in scholiis nec in codicibus exstet vestigium. Nam quod v. 8. pro *et* in paucis eisque deterioribus codicibus *ut* scriptum est, hoc haud dubie ex pravo corrigendi studio est ortum; neque vero intellegere possum, quomodo quis jure inde concludere possit in eis, quae antecedunt, ut deletum esse.

Sed quid faciamus, ut contortam hujus loci structuram expediamus? Equidem existimo non verba ipsa mutanda esse, sed distinctionem eorum; adhibendam igitur eam emendandi rationem duco, quae omnium longe facillima est. Et cogitarunt jam de hac ratione J. Chr. Jahn et K. Lehrs, quorum ille hanc proposuit verborum interpunctionem:

Debes Vergilium finibus Atticis:
Reddas incolumem —

hic ita interpunxit:

Debes Vergilium! finibus Atticis
Reddas incolumem —

At utroque modo discerpuntur, quae jungenda sunt. Quis enim haec: *quae tibi creditum debes Vergilium* et *finibus Atticis reddas incolumem*, quae artissime inter se cohaerere quivis primo obtutu

[1]) Praeterea Schuetzius pro *quae* scribendum censuit *quem*.

videat, recte ita disjungi posse putet, ut a *finibus Atticis* prorsus novum enuntiatum ordiatur? Et si *reddas* a *finibus Atticis* dirimeretur, ad h. v. *reddas* vix aliud suppleri posse quam nobis Orellius bene animadvertit. Verum tamen ex uno quod nunc in libris nostris est enuntiato duo efficienda esse verissime illi perspexerunt; neque dubito, quin ita haec verba distinguenda esse censeam:

Sic te diva potens Cypri,
  Sic fratres Helenae lucida sidera
Ventorumque regat pater
  Obstrictis aliis praeter Iapyga!
Navis, quae tibi creditum
  Debes Vergilium, finibus Atticis
Reddas incolumem precor
  Et serves animae dimidium meae.

Hic dubitabis fortasse, num fieri possit, ut primo carminis enuntiato Horatius navem alloquatur et altero demum ipso nomine eam appellet. Qua dubitatione ut jam liberem te, peto abs te, ut hoc legas sexti ejusdem libri carminis initium:

Scriberis Vario fortis et hostium
Victor Maeonii carminis alite,
Quam rem cunque ferox navibus aut equis
  Miles te duce gesserit.
Nos, Agrippa, neque haec dicere —

Alloquitur hic Agrippam primo carminis verbo, sed ipso nomine eum post secundi demum enuntiati initium appellat. Conferas etiam c. I 9, 8. II 1, 14. II 12, 11. III 8, 13. IV 7, 23. IV 9, 33; epod. 15, 11: omnibus his locis invenies eos, quibus dicata sunt ea carmina, non in ipso allocutionis principio nominatim appellari, sed vel multo post.[1])

Quodsi nos hoc quem tractamus loco interpunctione verborum mutata primam navis allocutionem ab ipso vocabulo, quo v. 5. nominatim appellatur navis, diremimus, tantum abest, ut id, quod ita restituimus, ab usu Horatiano abhorreat, ut certae alicui consuetudini et qua utique delectari Horatius videtur vel accommodatissimum sit.

At enim sententiae ista mutatio vix accommodata sit, quoniam illud *sic* nunc nihil habere videatur, quo referatur. Quod quale sit, jam explicandum restat. Interpretes quidem ea potissimum, quae Dissenius ad Tibull. I 4, 1 exposuit, secuti fere omnes contendunt *sic* h. l. optantis vel precantis esse et condicionem subjici, qua fausta ea, quae navi optentur, accidant, ita ut *sic*, quod in v. 1. habetur, jam spectet haec, quae v. 7. et 8. sequuntur, *reddas* et *serves*.[2]) Sed equidem nunquam a me impetrare potui, ut id verum esse crederem. Nimirum ut sic idem valeat atque hoc nostrum unter der Bedingung, id duobus modis fieri potest. Namque necesse est aut praecedat, unde cognoscatur, quae condicio intellegenda sit, aut sequatur enuntiatum, quo condicio, quae illa particula sic indicatur, plane

---

[1]) C. III 9 quam puellam prima stropha Horatius allocutus sit, concludendum est ex responso, quod secunda stropha continetur.

[2]) Illud, quod olim a quibusdam explicabatur: *sic* sc. ut cupio, ab omnibus jam explosum est.

exponatur, quod enuntiatum ab his particulis si et ut incipere solet. Illud prius sic apud Horatium invenitur c. I 28, 25:

Sic, quodcunque minabitur Eurus
Fluctibus Hesperiis, Venusinae
Plectantur silvae te sospite —,

ubi *sic* ad haec, quae ante dicta sunt, respicit:

At tu, nauta, vagae ne parce malignus arenae
Ossibus et capiti inhumato
Particulam dare.

Alterius usus exemplum est epist. I 7, 69:

Sic ignovisse putato
Me tibi, si [1]) cenas hodie mecum.

Qui loci quam male cum hoc nostro loco illis dissimillimo collati sint, non est quod dicam.[2]) Sed unum etiam de hoc altero usu addendum est. Apud poetas enim, quippe qui, quantum possunt, particularum usu abstinere soleant, fieri potest, ut in initio ejus enuntiati, quo ea condicio, quae hac particula sic ante indicata est, declaratur, illud si vel ut omittatur: tum utrumque enuntiationis membrum quasi per se stare videtur. Hujus paratacticae locutionis exemplum exstat apud Horatium satir. II 3, 300 sq.:

Stoice, post damnum sic vendas omnia pluris:
Qua me stultitia, quoniam non est genus unum,
Insanire putas?

---

[1]) Quemadmodum ut post illud sic usurpetur, ex hoc loco Propertiano (I 18, 11) elucet

Sic mihi te referas levis, ut non altera nostro
Limine formosos intulit ulla pedes.

Retinet, id quod manifestum est, ut vim comparandi.

[2]) Non rectius hic ex Senec. Troad. 701—706 (731—736) locus collatus est:

Sic te revisat conjugis sanctae torus,
Annosque, dum te recipit, extendat suos
Laerta; sic te juvenis excipiat tuus
Et vota vincens vestra felici indole
Aetate avom transcendat, ingenio patrem.
Miserere matris!

Ibi enim cum hi praecedant versus 697 sqq.:

Miserere matris et preces placidus pias
Patiensque recipe; quoque te celsum altius
Superi levarunt, mitius lapsos preme:
Misero datur quodcunque, fortunae datur.

cumque fieri non possit, quin sic et v. 701 et 703 ad haec quae praegressa sunt verba *miserere, placidus patiensque recipe, mitius preme* referatur, ille Senecae locus adeo non est huic Horatiano loco omni modo congruens, quod voluit O. Keller (Epilegom. I p. 15), ut prorsus ab eo differat: videlicet apud Horatium *sic* in initio totius carminis positum est. Illud vero quaeri, ubinam sic et te conjuncta legantur, nihil attinet. Cf. Schuetz. l. c. p. 350.

Haec simplici ac vulgari oratione ita dici potuerunt: Stoice, sic opto, ut vendas omnia pluris, si mihi dicis, qua me stultitia insanire putes. Sed poeta suo more particulam si omisit, ut quae ratio inter duo quae posuit enuntiata intercedat, cogitando demum ex sententiarum nexu intellegendum sit. Simillimus locus exstat apud Tibullum I 4, 1 sqq. Imperativum autem post sic posuerunt Catullus XVII 7 et Vergilius eclog. IX 32 et X 6, qui loci quomodo recte explicentur, ex Tibull. III 6, 1 disci potest.

Jam vero quaerendum est, possitne etiam hoc de quo agimus loco *sic* ita intellegi, ut in eis, quae sequuntur, particulam si poetico more omissam esse dicamus. Quod quominus faciamus, haec duo maxime obstant. Ac primum ita nullo modo recta sententia efficitur, id quod Doederlinius l. c. tam accurate ac subtiliter demonstravit, ut mihi quidem nihil addendum videatur. Nec male Nauckius haec: Andere wollen in dem Zweiten die Bedingung des Ersten finden: Sic te di servent, ut tu servabis amicum. Aber wenn das Schiff den Freund erhalten sollte, so musste es doch wohl zuerst selbst erhalten sein. Deinde cum haec omnia *finibus Atticis reddas incolumem et serves animae dimidium meae* ex verbo *precor* pendeant itaque hoc ipsum enuntiatum per se perfectam atque absolutam sententiam efficiat, haec verba *reddas* et *serves* non possunt cum illa particula *sic* conjungi. Cf. Nauck. ad h. l.

Jam ut haec, quae exposita sunt, breviter complectar, fieri mihi non posse videtur, ut *sic* h. l. condicionem indicet, quae his quae sequuntur verbis *reddas* et *serves* declaretur. Quodsi supra contortam hujus loci structuram ita expediri posse vidimus, ut verbis aliter distinctis ex uno enuntiato duo efficeremus, huic mutationi *sic* particulam haudquaquam impedimento esse apparet: dirempta enim sunt, quae non possunt cohaerere.

Quaerenti autem, quomodo ipse illud *sic* intellegendum esse velim, haec respondebo. Quoniam nullum h. l. est verbum, ad quod *sic* referatur, referendum est ad res ipsas, quas Horatius intuetur vel potius intueri se fingit. Fingit autem, ut puto, in litore quasi se stare et videre navem discedentem, qua Vergilius amicus in Graeciam proficiscatur. Et hic ipse discessus secundo vento inceptus illo *sic* tanquam digito ostenditur. Eam vim hujus voculae *sic* esse semper existimavi, et interpretum certe unum, Fr. Ritterum, idem sentire nuper non sine gaudio cognovi. Is enim haec explicat: „*Sic*, ut nunc ipsum fieri video“, quam sententiam partim illud *sic* non sine vi repetitum, partim proxima verba (*lucida sidera* atque *obstrictis aliis praeter Iapyga*) suppeditant. Scilicet poeta Vergilium tranquillo mari, sereno caelo, secundo vento discedentem animo intuetur. Atque haec Ritterus. Ne quis vero putet non posse Horatium id, quod ego dixi, fingere, quia nimis audaciae in ea fictione insit, ex multis illud unum saltem afferre mihi liceat, quod idem c. III 4, 5 in media se sodalium corona esse fingit et Musae cantum audire. Quod certe non minus audacter fit.

Sed ut ad hunc quem explico locum redeam, Horatius eo ipso tempore, quo navem, qua Vergilius amicus avehitur, e portu exeuntem videt, primum omnia fausta, quibus ad felicem navigationem opus est, navi a deis precatur, mare tranquillum, serenum caelum, secundum ventum (v. 1–4); deinde ipsam navem nomine invocans implorat, ut amicissimum sibi hominem incolumem pervehat in Atticam (v. 5—8). Quorum sua utrumque verborum comprehensione suaque stropha metrica pronuntiatur.

Atque haec scripsi de primis octo hujus carminis versibus: quae restant autem, ea Horatius, postquam navis cum amico jam e conspectu abiit, apud sollicitum suum animum

de navigationis periculis deque hominum audacia ac temeritate considerat vel secum ipso loquitur. Quo fit, ut illi versus 9—40 ab his octo, de quibus diximus, longe diversi esse videantur: quamquam in ea diversitate, cujus ratio bene intellegatur, nulla justa est causa, cur hoc carmen, quod nunc integrum ac prope perfectum est, in duo discerpatur plane mutila ac manca.

Superest, ut sollemnia Schuessleriana indicamus Idibus hujus mensis rite celebranda. Ea autem oratio, qua recoletur memoria Schuessleri, ipsa quoque de Horatio habebitur. Prodibit enim qui propter morum probitatem et laudabilem industriam beneficio Schuessleriano ornatus est

Alfredus Greuner Geranus,

primae classis discipulus, ut oratione Latina Horatium non fuisse adulatorem pro viribus exponat. Ad hanc orationem bona cum venia audiendam ut adesse velint, Civitatis nostrae Praesides Gymnasiique Inspectores Excellentissimos Praenobilissimos Summe Reverendos ceterosque omnes rerum nostrarum Fautores Humanissimos omni, qua par est, observantia rogamus et invitamus.

Scrips. Gerae d. V. Octobr. MDCCCLXXX.